




12. 106.

(Contenta).

1. Erdmuthylacum Schulzianum. Author est voribor syphoribus; pag. 1. in Part II. Historia
2. Dr. Ado. Schulze, de Sacra Mina et Moneta, quae Regum
Populorum et Rerum vocantur, Vtilitate
3. M. Fran. Ekepi. Legifest, de Numis in ore Defunctorum, reperio.
4. De tribus feris, quae in Numis seculoribus Philippotum et Iug. conspicuntur.
5. Dr. F. Ado. Lauen de atra et Natura dei Termini.
6. Jo. Wunderlich Sen. Australis illustrata.
7. J. Edm. Deyling. Atelie Capitulinae Origines et Historiam ex veteribus monum.
8. M. Dr. Gottlieb Böwermann. Acta Seminatur.
9. ej. De Numis Rei monetariae reformatae testibus.
10. ej. Pro et contra alterum Opus.
11. ej. Religions recognoscere, s. Religious findy.
12. ej. Tong. u. Bergmuth. Minzg. I — VII. abfandung.
13. ej. Dr. G. r. gutt. aufgelegt.
14. ej. des Baumes auf Minzg.
15. ar. plan. Blaust. - Naturist. et Sacra Mina et Moneta. — u. Proklauberg.
16. Advocate Augsburgo. et Joh. b. v. Rainow Villar. minzg. 1681 —

Dreyling




4

Q. D. B. V.
DISPUTATIO HISTORICO-MORALIS
D E
N U M M I S
I N
O R E
DEFUNCTORUM
R E P E R T I S,
Q V A M
D I R I G E N T E
MORTUORUM AC VIVENTIUM
DOMINO,
E T
P E R M I T T E N T E
AMPLISSIMO SENATU PHILOSOPHICO,
I N
ILLUSTRI ACADEMIA LIPSIENSΙ,
C A N D I D Ā E R U D I T O R U M *diatriba*,
ea,
qua decet, reverentia
submitunt
P R A E S E S
M. CHRIST. EHRENFR. SEYFFERT,
E T
R E S P O N D E N S
CHRISTIAN DAVID SEYFFERT, Philos. Bacc.
Cræbra Misnici, Fratres Germani.
Hora ac Diatriba consueta.
d. 26. Jan. 1709.

L I P S I A E,
LITERIS BRANDENBURGERIANIS.

DISPUTATIO HISTORICO-MORALIS
IN
NUMMIS
ET
BREUINGTORUM
KATHARTICIS
MORTUORVM AC VIVENTI
DOMINO
CHRISTIANI DILECTIONE
CHRISTIANI DILECTIONE
CHRISTIANI DILECTIONE



ΣΔΥ ΘΙΩ

PROOEMIUM.



Ansa instituti nostri unica fuit, proponere Academi-
cum Exercitium, quod, ut imprimis directum in
Dei gloriam, proximi emolumenitum, ut & levium
studiorum commendationem, animitus optamus. Mo-
nebamur enim in cathedra Philosophica, altera vi-
ce nomina nostra exsolvere, & parvimus. Thema,
quod huic rei inserviret, non unum ad manus affuit semper, ex omni-
bus tamen praesens eligere placuit. Occasionem istud pertractandi, no-
bis suppeditavit vana Mortalium cupiditas. Tanta nimirum tam
pristinis quam nostris temporibus, nonnullorum hominum mentes occu-
pavit avaritia, ut non solum pretiosissimos thesauros, in vita colligere,
sed etiam in ipsa morte eos possidere anxie annisi fuerint. Hec ipsa e-
doctus Apulejus, nostrae sententie adspiculatur, hunc in reoedium inquiens:
Et inter mortuos vivit avaritia! Historiorum itaque monumen-
ta evolentes, eorundem, non exiguis deprehenditur numerus, qui su-
perfitionem sicam maxime proddiderunt in eo, quod magnam pecunie
sumnam ex vita migrantium comitem & in sepulchris cyslodem que-
sse esse iusserunt; Imo multi superstitionis vanitate abrepti pectorum, De-
functos maximum inde percepuros esse fructum, si aliquam pecunia
speciem oribus ipsorum ingererent. Ad discutiendum igitur superstitionis
hujus ritum, nostram conscriptissimam Disputationem, quam L. B. in II.
Capita dispositam invenies, quorum primum Thematris Historiam ut &
ratus hujus fines, alterum vero ejus Moralitatem expendit.

Faxit DEus feliciter!

A 2

CAP.

¶ (4) ¶
CAPUT. I.

De

Nummīs in Ore Defunctorum
repertis.

§. I.

in genere de pecunia in sepulchris reperita & quidem ^{1. apud} *Ethnicos.* **P**ecuniam non solum, sed quicquid divitiarum nomine censemur, rem fluxam pariter ac instabilem esse, nemo cum B. Jacobo Thomasio (*a*) inficias ibit. *Sæpe, inquit, nos hæc opes, dum vivimus, deserunt, variis fortune casibus interceptæ, a nobis autem profecto non possunt non deserî, ut primum ex hac vita discedimus.* Interim exempla docent quamplurima, multos admodum cum Defunctis magnam auri argenteaque vim, ni res angusta domi id ipsum vetare videretur, se pelivisse, prout ipse laudatus Thomasius loco supra citato pluribus ostendit. Albanis olim juxta Strabonem (*b*) pecuniam cum mortuis sepelire in loculis, mos patrius fuit, hinc non miraberis, pecuniam cum mortuis absuntam & subterraneo domicilio reclusam, pauperes fere in perpetuum constituisse hæredes. Eundem morem sepeliendi mortuos cum auro & argento olim apud Romanos fuisse vetitum, apparet ex Ulpiani (*c*) responso: *Non oportet ornamenta cum corporibus condî, nec quicquam huiusmodi, quod homines simpliciores faciunt.* Minime tamen legi huic se adstringi passi fuerunt. Nam apud *Historicos* monumenta Romanorum auri argenteaque luxu conspicua passim deprædicantur, ex quibus referre præ ceteris placet

cet, quod filiabus Celeberrimi Romani Stiliconis Imperatori Honorio despontatis, exstructum fuit, quo aperto pretiosissimus reperiebatur thesaurus, de quo Talandrum (*d*) confer. Huc etiam facere arbitror, quod Herodotus (*e*) de sepulchro Reginæ Nitocris, commemorat, vix enim verbis exprimere potest, quanta magnificentia, quæ simul in magna pecuniae summa consistebat, illud exornatum fuerit.

(*a*) Program. LVII. de pecun. cum mori. sepult. p. 673.

(*b*) Lib. XII. p. 342.

(*c*) in l. 14 §. 5. ff. de relig. & sumpt. fun.

(*d*) Historischer Welt-Spiegel cent. II. p. 716.

(*e*) Lib. I. cap. CLXXXVII.

§. II.

Non solum vero Gentilibus sed & Judæis mos fuit defunctis tumulis inferendis, adponere pecuniam. Imo non abs re Judæi divitiis implere videbantur tumultus suos, cum ipsis in sermone patrio sepulchrum dicatur לְנָשׁוּ locus quasi desiderii habendi, quin immo locus, qui ore hiante repleri expetit, a Radice לְנָשׁוּ, concupivit, postulavit. Et quamquam consuetudo hæc, rationi & communi sententia Hebræorum Doctorum repugnare videretur. Precipiunt enim, inquit Schickardus, (*f*) sapientes Hebrei cave-re, ne quid facile una defodiatur, quod aut pretiosum sit aut honestum, utiliusque possit egenis erogari. Addit & verba Autor citatus Magistri celebris apud Hebraeos Maymonidis, quæ latino idiomate donata adscribamus, quantum ad nostrum institutum faciunt. Docendi sunt

A 3.

boni-

2. apud
Iudeos.

homines, ne sint dissipatores, vel adfvescant intempesti-
vis perditionibus. Praefstat enim ea dare pauperibus,
quam sic inutiliter vermbus obficere. Nihilominus ta-
men in ipso Salomone Regum alias sapientissimo, Jo-
sephus (g) hanc obfervat vanitatem, quod sepulchro
paterno, innumerablem pecunia summa taceam
alia vasa argentea, inferre non abftruuerit.

(f) de Jure Regio Hebr. Cap. VI. p. 163.

(g) Lib. VII. Antiquit. Judaic. Cap. ult. p. 200.

§. III.

*apud
Christia-
nos.*

Vestigiis Ethniconum, ut & Judæorum infti-
terunt quoque Christiani, inter quos etiam irrepere
coepit mos cum mortuis pecuniam fepeliendi. Fecit
hoc Monachorum ille Ordo, qui referente B. Hiero-
nymo (h) de relictis divitiis cuiusdam Confratris, ridi-
culum hoc præeunte Macario & aliis, capiebant conſi-
lum, infodienda ea eſſe cum ipſo, dicentes: *Pecunia
tua tecum fit in perditionem.* Adam quoque exem-
plum quod habet Theobaldus Augviberdus (i) de uſu-
rario quodam in civitate Metensi, avaro valde, ejus e-
nini in sepulchro magna pecunia summa fuit reperta.
Hic morti vicinus amicos suos juramento adftrinxit, ut
crumenam denariis plenam secum in sepulchro reponi
curarent, quod ex voto quidem factum, poſtea vero
rurus apertum fuit ab iisdem sepulchrum, ut pecuni-
am reciperen, viderunt autem Dœmonem cum ma-
gno cochleari ardenti, defuncto pecuniam ignitam in-
fundentem. Id quod vero fabula, quam veræ histo-
riæ similius eſſe existimat celeberrimus Thomasius l. §. i.
cit. Etiamſi iſthoc quod jam prolatum fuit, cum B.
Tho-

Thomasio in dubiu a plerisq; merito vocetur, inventur tamen adhuc alia exempla veritati magis conguia, ex quibus dilucide constat, etiam Christianos ingentem pecuniae summam in sepulchra deponi curasse, nec difficile nobis foret de his adhuc unum alterumve in medium proferre; ast, quoniam propositum nostrum non est ex professo de pecunia in sepulchris reperta, differere, sed speciatim modo de nummis in ore sepulchorum inventis, merito hac opera supersedemus, ablegantes L.B. ad Gretserum (k) qui hac occasione evolvit meretur, conferimus potius nos ad id, quod instituti nostri Thematisque ratio postulare videtur.

(b) Epist. ad Enstoch. de Custod. Virg. Tom. I. Oper. p. 67.
Edit. Basil. 1516.

(i) Menœ Philosophica Tract. IV. Tit. de usurariis.

(k) Lib. I. de fun. Chrl. cap. VI.

§. IV.

Sub humeris præsertim & genubus Defuncto. In specie
rum, thesaurum sive quandam pecunia summam, de-
ponere, Veterum, observante Stephanio (l) cura
fuit, quam observationem Gretteris Saga, confirmans, de Nummis
Grettero tumulum Kari animose intrante tractans: in Ore De-
Sub pedibus terricula artulam invenit argento repletam. Et quidem
Ideo autem id factum, conjecturat Stephanus, quo iterum
tutior esset thesaurus a malis Harpygarum manibus.
Verum enim vero non humeris ac genubus Defun-
ctorum pecunia solum, sed in ore quoque, quamvis
non ingenti copia, tamen una alterave specie reperta
fuit, Ethnicos quod concernit, eorum exemplare. I. apud
fert Ethnicos.

fert Thomasius in program. antea cit. ubi ex sententia Lambecii commemorat hunc ritum a Græcis & Romanis etiam ad antiquos Pannonios transmigrasse. Gemella quoque exempla leguntur apud Lucianum (m) qui simul varias nummorum istorum species adducit.

(l) in *Saxonia Lib. III.*

(m) in *Dialog. præcipue in Differt. Satyrica de Luclu.*

§. V.

2. *apud Ju-
deos.* Superstitionem hanc gens admodum superstitione-
sa, Judæi nimurum, sectati sunt, siquidem Kornman-
uus (n) de ipsis asserit, quod in capitibus corporum
jam ante aliquot secula humatorum, aurei nummire-
perti fuerint, quos sepeliendi in ora inseruissent.

(n) p. 7. *Mirac. Mort. cap. 64.*

§. VI.

3. *apud
Chris-
tianos.* Sed quod haec tenus de Gentilium pariter ac Ju-
dæorum conservudine absurdâ narravimus, id quoque
inter Christianos in usu fuisse deprehenditur. Sic e-
nim celeberrimus & in antiquitatibus versatissimus
Tenzelius (o) memorat, effossum cranium ante paucos
annos ipsi fuisse ostensum, in quo inveniebantur duo
bracteati, quibus insigne Landsbergicum literis con-
suetis L A N D, impressum conspiciebatur, ac procul
dubio bracteati isti, in os defuncti, cum sepultus es-
set, immisli fuerunt. Et hodieque exempla hujus rei
pasim extant. Eruti nuper in Cœmitorio Palæo-Dres-
densi fuerunt tres nummi in oribns defunctorum la-
titantes, quorum unus grossum Bohemicum, reliqui
ve.

vero monetam Saxoniam non admodum vetustam
referebant.

(o) Monatliche Unterredung Anno 1695. p. 97.

§. VII.

Veritas ergo hujus consuetudinis ex allegatis di- Patet binc
lucide satis constat, nec facile in dubium vocari potest. Confue-
rit, quod de hoc argumento dictum aut scriptum ab iudicis i-
hoc vel illo fuit. Siquidem hic ritus non a gentilibus sius veri-
tantum, quos merito plurimarum superstitionum au-
tores nominamus, adhibitus fuit, sed ipsum quoque
apud Judaeos viguisse, supra dicta abunde declarant.
Et sicuti gens Christiana non raro ejuscemodi aluit as-
seclas, qui vanis superstitionibus & inanibus fabulis
delectati fuere, ita etiam nec ab hoc superstitionis ge-
nere immunes manserunt. Diu vero & per multa eis an-
secularia ritum hunc durasse, ipsa veneranda loquitur an-
tiquitas. Priscos Ethnicos inventores consuetudinis
istius fuisse, id quod sequenti §. VIII, audiemus, non
sine ratione creditur, a quibus deinceps ad Judaeos,
& ab his tandem ad Christiana castra transiit. Vari- 3. Num-
as etiam in ritu isthoc nummorum species usurpatas morum
fuisse, L. B. ex allegatis colligere potest, non enim
argenteos solum sed & quandoque aureos nummos
oribus immisso fuisse, adducta a nobis exempla
comprobant, ubi simul figurae ipsis impressa notari
merentur.

B

§. VIII.

§. VIII.

*De origine
hujus su-
persticio-
nis & fine
indendi
nummum
in Os De-
functi
1. apud
Ethnicos.*

*Ad originem tandem hujus superstitionis ut
deveniamus, ordinis ratio postulat, quodque can-
dem concernit, ea omnino Gentilibus debetur, qui
eum in finem nummum in os defuncti indebant, ut
Charonti pro Stygiæ paludis transmissione tanquam
naulum, quod davaun a Græcis teste Lambecio (p)
vocabatur, persolveretur, id quod nos Lucianus (q)
docet, dum de Gentilibus ita scribit: *Cum quis e
domesticis obseruit, primum obolum in os induit, ut sit por
titor i trajectionis merces.* Est & inter alia fabulosa
dogmata ipsorum sententia, animabus mortuorum
flumen Charontis esse remetiendum, ideo duas vel plu
res stipes oribus Defunctorum immiserunt, constat
id ex Apulejo, (r) ubi inquit: *Huic squallido seni
dabis nauti nomine de stibibus, quas feres alteram,
sic tamen ut ipse sua manu de tuo ore sumat.* Et paulo
post: *Ac deinde avaro nauta, data quam reservamus
stipe, transitoque ejus fluvio recalcans prima vestigia
ad ipsum cœlestium siderum rediere chorum.**

(p) Lib. I. de Biblioth. Cas. Part. I. p. 89.

(q) in Dialog. & quidem Satyrica Dissert. de Luctu.

(r) Metam. VI.

§. IX.

*Ex fine in
dendi
nummum
in Os De
functi
2. apud
Judeos.*

Nihil equidem sine causa fieri sapientum est ef
fatum, nihilominus tamen examinando finem istum,
quem Judæi in observando ritu nummos in ora Defun
ctorum immittendi, intenderint, nihil fuit, quod tan
quam causam & finem allegare possemus. Quotquot
enim de hoc argumento evolvere licuit Autores, nec
quicquam

quicquam de fine hujus superstitionis a Judæis obser-
vatæ commemorant. Si mentem nostram hac in par-
te explicare liceat, probabilissimum esse putamus,
quod Judæi ceu gens superstitionibus & idololatriæ
maxime dedita, ut multos alias gentilium ritus, sic &
hanc superstitionem cœco quasi impetu imitata fue-
rit; Quam sententiam nostram nulli tamen obtru-
dimus, gratissimum nobis potius erit, si B. L. verum
aliquem finem indagare nosque illum docere pla-
ceat.

§. X.

Sicuti autem Ethnici una cum Judæis certum De fine
finem sub hoc ritu intenderunt, ita & Christiani. Du- nummum
plicem vero ob finem ab ipsis fuisse factum, histori- in os De.
arum monumenta comprobant. Primus eorum e functi in-
rat, ne redeant Defuncti, & reliqtam pecuniam vel dend i
auferant secum, vel saltem hæredes impediunt, quo 3. apud
minus commode eadem utantur. Et ex hoc falso Christia-
præsupposito, falsa quoque vulgi orta est opinio, quod nos,
anima hominis, qui thesaurum quendam abscondis plex exi-
set morteque præventus, placida quiete minime frue sit. I.
retrur, nisi pecunia relicta novum agnosceret Domi- ne redeant
num. Fingunt porro exinde, quod animæ mortuo- Defuncti.
rum nocturno tempore ceu Inimina apparent in lo-
cis istis, ubi magnus thesaurus recondetur. Quæ fig-
menta eo ipso probare satagunt, quod interdum Spi-
ritus quidam homines vocare soleat, thesauros re-
conditos ipsis demonstratus, de quo hinc inde ex-
empla plurima videre possunt, in primis tamen L. B.

ob chartæ angustiam ad Lehmannum (s) ablegamus,
 qui exemplum speciale narrat. Alter hujus rei finis
 apud Christianos superstitione hac captos, erat, ne
 scilicet mortui manducent, quod Germanici efferunt
 per Schmäzen. Siquidem Rollenhagius (t) anno-
 tavit, quod etiam suo tempore in Saxonia multis in-
 locis, ori Defunctorum lapillus cum nummo fuisset
 insertus, ut a manducando abstinerent, quem supersti-
 tionis finem Garmannus (u) prolixè admodum descri-
 bit. Mirabilis certe est opinio, qua mortuis acti-
 onem aliquam tribuunt, dicunt enim, si linteolum
 attingant ore istud devorare, & hæc damna exinde oriri,
 quod mortis crudelitas in totam familiam postea sèvire
 incipiat. Hinc etiam Vespillones diversas in diversis lo-
 cis superstitiones observare dicuntur. Lipsiæ hic ut
 & alibi glebam cespitate conspicuam collo defuncti sup-
 ponere solent: Dresdæ linteum sive collare firmiter
 affingunt, & id in nullum aliud finem, quam ut De-
 functis occasio manducandi præcludatur. De cada-
 veribus vero porcorum instar mandentium in cryptis
 sonantibus, mentionem fecit Beierus, (w) Müllerus
 (x) Stielerus, (y) ut & ipse Lutherus (z) quæ loca in-
 fra citat. Autor. L. B. proprio studio, si placet, consu-
 lere potest. Nos interea progredimur ad

(s) Erzgebirgischer Schau-Platz p. 183.

(t) Lib. IV. mirabil. peregrin. cap. XX.

(u) de Miracul. Mort. Libr. I. Tit. 3. §. 7. p. 28.

(w) in Fæst. dictiorum Biblicorum Cap. IV. n. 32.

(x) Annal. Freibergens. p. 254.

(y) Historien-Schau Part. II. p. 191.

(z) Fisch-Neden Tit. 24. p. 211. 212.

CA.

CAPUT II.

De

Moralitate hujus consuetudinis.

§. I.

EX iisigitur, quæ capite præcedenti protulimus, *Quæstio generalis*, duplex emergit quæstio. Quæritur nimirum in *quid sexti-endum de Conficiu-dine pecu-niam cum mortuis sepeliendi?* Respondetur: Pecuniam in honorificam sepulturam a cognatis amicis atque hæredibus impendi, res existit laudatu digna, hinc etiam quantum ad decorum defuncti ornatum sufficit, minime refragamur; Reges & illustres perfonas, *præ* *sepeliendi?* plebejis funeribus exornari, ut & in morte discriminem appareat, a nobis haud improbatum, *moderatum e-* *nim sumtum, pro ratione status, conditionis, Regionis, facultatum ac temporum Syracides (a) permit-* *tit, & exempla sanctorum in scriptura sacra (b) pas-* *sim probant. Sed luctum convertere in luxum ac hu-* *manam miseriam, cuius per mortem nostrorum ad-* *monemur, eodem obtegere velle, præpostorum at-* *que stolidum omnino censetur. Verum enim manet* illud Hiobi: (c) *nudus egressus sum de utero matris mee,* & *nudus revertar illuc. Neque non illud Apostoli (d)*

B 3

Ni-

Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec austerre quid possumus. Multo magis opes ipsas, auream argenteamque supellectilem, quæ neutiquam ad decentem defuncti ornatum requiritur, cum ipsis condere, plane absurdum esse, cum B. Thomasio (e) existimat; Anima, inquit hominis, mortui ac defuncti cum mundo etiam omnes ejus delicias relinquunt, hinc, penitentia sive beatis cœlitibus ea societur, non indiget, sive ad inferos descendat, juvari nec quicquam potest.

(a) Cap. 38. v. 17.

(b) Gen. 50. v. 1. Matth. 27. v. 59. Joh. 19. v. 39.

(c) Cap. 1. v. 21.

(d) 1. Timoth. 6. v. 7.

(e) Program. antea cit. p. 674.

§. II.

*Rejicitur
hic mos
partim
Legibus
Civilibus*

Rejicitur itaque plane hic mos *partim* legibus civilibus, (f) ubi sermo est de religiosis & sumptibus funerum. Si vero nobis hoc loco aliquis objiceret, vellet: Quid si ipse Defunctus, cuius voluntas alias sancte observatur, in testamento talia fieri jussit, nonne tenentur hæredes iussa ejus perficere? Respondeamus: minime juxta Legem (g) obstricti sunt. Unde & Magistratus Lege (h) præscripta depositos in sepulchris thesauros citra injuriam ossium eruendi, salvam de jure sibi adscriptis pœstatem. Qua etiam Leges ulius fuit Theod. Rex, ille enim thesauros in sepulchris repertos in commodum publicum adhibere Dux Sajoni jussit (i) his verbis: Ideo moderata jussione decer-

decernimus, ut ad illum locum, in quo latere plurima
suggeruntur, sub publica testificatione convenias: Et
si aurum ut dicitur vel argentum fuerit, tua indagatione
detectum; compendio publico fideliter vindicabis, ita
tamen ut abstineatis, manus a cineribus mortuorum.
Edificia tegant cineres, columnae vel marmora ornent
sepulchra; Talenta non teneant, qui commercia vivo-
rum reliquerunt. Aurum enim justis sepulchris detrahi-
tur, ubi Dominus non habetur; Imo culpa genus est,
inutiliter abdita relinquere mortuorum unde se vita pot-
est sustentare viventium. Non enim est cupiditas eri-
pere, quae nullus se Dominus ingemescat amississe. Hinc
summa Davidici authoritas, non obstat Hircano Pon-
tifici, ille, prout Josephus (k) annotavit ab Antiocho,
Demetrii filio, cognomine pio, oppugnatus, pecunia
deficiens, aperuit Davidis monumentum & prolata-
tria talentorum millia, ad solvendam nimirum Hiero-
solymarum obsidionem, convertit, ea quæ relicta e-
rant, post complures annos Herodes Rex secum ab-
stulit.

(f) l. 14. §. 5. ff.

(g) l. 113. §. ultimo ff. de Legat. I.

(b) l. 4. §. penult. ad I. Jul. pecul.

(i) apud Casiod. l. 4. var. Epist. 34.

(k) de bello Jud. Lib. I. Cap. 2.

*partim
sana rati-
one.*

Rejicitur quoque *partim sana ratione*, quippe quæ injustum esse judicat, opes ex commercio vivorum surripere & mortuis nulla in parte profuturas sepelire. Cui enim bono mortuis pecunia? Quam parum etenim opes condita defunctis usulsiunt, tristis abunde declarat eventus, spe lucris scilicet invictati fures, sepulchra demoluntur, corpora disjiciunt ac proterve violant. Alexius Angelus Græcorum Imperator, recentente Erasmo Francisco,⁽¹⁾ pecunia indigus e templo aurea vasa in usum suum convertere, non erubescens, Cœsarum quoque conditoria perscrutatus est, spemque firmissimam habuit, in sepulchro in primis Constantini M. ingentes invenire thesauros, ast frustra! Ornamenta enim a furibus omnia, qui cum anteverterant esse direpta, perturbata haud dubio cognovit mente. Tempore quoque Antonini M. milites quidam, ut Titius^(m) annotavit in Seleucia sepulchrum aperuerunt spe fretri, ingentem ibi pecuniae sumam inveniendi, sed pestilentissimus odor exhalavit, qui toti mundo magnam intulit stragem. Plurima exempla Kirchmannus⁽ⁿ⁾ L. B. de hac materia communicabit,

(1) Schaub. P. m. p. 926.

(m) Exempelb. p. 1705.

(n) Lib. 3. Cap. 14. p. 506.

Talia evidentissima damna ex ritu isthoc pro-
fluentia, secum perpenderunt S. Patres, vehementer
enim omnem luxum & ostentationem circa sepulturam Incommo-
da ritus
hujus su-
perstitiosi
detestati sunt. Hieronymus (o) inquit: *cur & mor- agnove-*
tuos vestros auratis obvolvit vestibus? Cur ambitio in- runt S.
ter luctus lacrymasque non cessat? An cadaver adiitum, Patres.
nisi in serico putrescere nequeunt? Huic assentit S.
Chrysostomus (p) dicens: *Tu cum audieris nudum,*
Dominum resurrexisse, cessa queso ab insana funeris im-
pensa. Quid sibi hoc superfluum vult & inutile dispen-
dium, quod ipsis, qui faciunt plurimum adfert detrimen-
ti, mortuis nullam utilitatem, vel damnum potius.
Sumptuosa namque sepultura interdum causa est, ut fu-
res Cadaver effodian, & nudum & in sepulchrum projic- iant. Pertinent huc Ambrosii verba, quae Quen-
stedt (q) repetit, sic sonantia: *Quid proficit sepulchro-*
rum superbia, damna sunt potius viventium quam sub-
sidia mortuorum. His addam verba Drexelii Jesuitæ
(r) dicentis: *Sepe funeris sumptuosa nimium pompa*
est, ipsis mortuis induimus superbiam. Ah! quid iste
manes juvant? Verbo veteri non raro dixeris: *Hono-*
rantur, ubi non sunt, & ubi sunt cruciantur. Si ita-
que luxum & ostentationem circa sepulturam adeo de-
testati sunt, multo magis repudiarunt pecuniam i-
plam cum mortuis sepeliri.

(o) in fine Libri de vita Pauli Erimitæ.

(p) Hemilia 84.

(q) Traët. de Sepult. Vet. cap. 14. p. 337.

(r) in Tobia Part. I. cap. 4. §. 1.

§. V.

Ethnico-
sapientio-
res.

Imo Ethnica gens sapientia illustris, ejusmodi
damna e consuetudine isthac oriri, cognovit, hinc
non solum ex eorum medio quidam splendida orna-
menta sibi erigi serio deprecati fuere, ut Solon, Pla-
to, Euripides & alii fecerunt, quorum detestationes
circa sepulturæ luxum Raupius (*s*) annotavit. Hos
imitatus fuit Saladinus, magnus ille Orientis Monarcha,
de quo Quenstedt (*t*) refert, quod minime opulentia-
m suam veribus ostentare voluerit, hinc morti vi-
cinus ipsum testamento quodam condito omnem fu-
neris pompam abdicasse dicitur, imo perhibetur,
mandasse corpus suum in lancea præferri linea interu-
la lacerum fragmentum, vel ut alii volunt, atri co-
loris obsoletam tunicam, præcinnente quodam ad
populum sequens epiphonema :

*Floruit in toro qui Rex Oriente superbus,
Hunc nisi panniculum possidet ecce! nibil.*

Vel juxta alios:

*Vixi divitiis regno, tumidusque tropheis:
Sed pannum ben! nigrum nil nisi morte tuli.*

Imo nonnulli in specie prohibuerunt, ne ipsorum se-
pulchris aurum argentumque inferretur, inter quos
Cyrum, Persarum Regem, allegasse sufficiat, qui si-
los suos testante Xenophonte (*u*) ante mortem ita fu-
it allocutus: *Meum corpus, cum moriar, non in auro condite,*
neque in argento, neque in alia re prorsus ulla, sed illud
terra

*terra condite quam primum, quid enim hac re beatius quam
terre misceri, que pulchra omnia gignit & nutrit? Quid
igitur de isto ritu pecuniam cum mortuis sepeliendi
sentiendum, ex iam dictis L. B. constabit.*

(s) *Biblioth. portat. Part. Praet. Loc. 30. de mort. §. II.*

(t) *in Tract. de Sepult. Vet. Cap. 16. p. 356.*

(u) *Lib. II. Cyropæd.*

§. VI.

Accedimus nunc ad alteram quæstionem, quam *Quæstiō*
paulo accuratius disquirere operam dabimus, ubi in *specialis,*
specie quæritur, quid sentiendum de consuetudine *quid sen-*
numnum in os defuncti intendi? Dura quæstio-*tiendum*
nem isthanc ventilare ejusque moralitatem expendere *de consuetu-*
animus est, nos non respicimus in genere ad omnes *tudine*
gentes, quibus in more positum fuit, defunctos suos *numnum*
hoc ritu terræ mandare, sed de Christianis in specie *in os de-*
loquimur, qui consuetudinem hanc ab Ethniciis acce-*functi in-*
ptam in sepeliendis suis defunctis adhibuerunt. Eth-
nicios igitur hic mitimus; Mens enim ipsorum, dum
lumen rationis, data opera suffocarunt, Dei permis-
su ita excœcata fuit, ut non solum vera & salutari co-
gnitione Divini Numinis destituti, sed etiam ipsi in-
sensum reprobum dati fuerint, ex quo deinceps fa-
ctum est, ut innumeros fere Deos sibi finxerint,
& in absurdissimas superstitiones prolapsi fuerint,
inter quas omnino referri meretur, nummos in ora de-
functorum immittendi ritus. Neque etiam de Judæ-
is, qui itidem hunc ritum a Gentilibus usurparunt, ser-

mo nobis erit, sed uti jamjam monuimus de Christianis solummodo. Certe vix mente satis comprehendere quis potest, cur inter Christianos quoque hic mos nummos in oratione funerum indendi irreplerit, in primis si duplarem fidem, quem superstitione isthac intenderunt, respiciamus, de quo Cap. I. §. ult. prolixius actum fuit.

§. VII.

Rejicitur Merito hinc a nobis rejicitur ritus iste *partim*, *bic ritus*, quia unice Gentilium redolet, & ejusmodi mo-
quoad pri- res in religionem christianam introducit, qui cor-
mum si- ruptam Gentilium mentem agnoscunt autorem. Non
nem equidem hic improbamus Gentilium inventa, quæ
partim cum recta ratione convenient, nec revelatae salutis
quia unice Gentilis- nostræ cognitioni repugnant, in usum suum conver-
mum re- tere, aut in hac parte gentilium vestigiis insistere.
dolet.

Multa enim certe sunt, quæ in cultura rationis, na-
 turæ pervestigatione, rerumque gestarum cognitio-
 ne suppeditant ipsi Gentiles, quæ non sine maximo
 emolumento ab ipsis perimus, sed mores ipsorum
 absurdos rationique nullo modo conformes imo no-
 xios assumere tantum abest, ut suadeamus, ut poti-
 us Christianis eo magis ab ipsis abstinentum esse exi-
 stimamus, quo longius veritas doctrinæ Christianæ ab
 absurdis Gentilium fabulis aut nugis anilibus differt.

§. VIII.

§. VIII,

Rejicitur partim etiam vel ideo, quia duo in partim
 specie præsupponit falsa, quæ cum religione christia quia duo
 na minime stare possunt. Falsum omnino est statu in specie
 re, quod animæ a corporibus separatae redire pos pre-suppo-
 sint, aut viventes turbare. De animabus etenim pi- mit falsa.
 orum e sacra scriptura (w) certissime constat, illas
 statim post dissolutionem a corpore, in locum venire
 beatorum & *ἀπάγτι*, beatas esse. Nec optabunt in his
 terris ulterius vagari. Impiorum autem animæ in
 locum æternæ damnationis abjiciuntur, ibique do-
 centे scriptura sacra, (x) in *ψυλαχῆ* tenentur. Quis
 igitur crederet illas adhuc in his terris circumvagari
 posse? Monstrato hoc falso, & illud subjungere pos-
 sumus, quo purant mortuos amore in relicta pе-
 cuniam tangi. Non equidem credam, quod ejusmo-
 di homines inveniantur, qui statuunt mortuos etiam
 in altera vita auri argenteique usu gaudere. Etenim,
 si quis hanc auri argenteique utilitatem adstruere an-
 nus fuerit, certe & hoc largieretur absurdum, com-
 mercia tractari, cum aliis effungi finis neutiquam
 possit.

(w) *Apoc. 14. v. 13.*(x) *1. Petr. 3. v. 19.*

§. IX.

Inquirendum tandem, an mortui etiam instar Rejicitur
 porcorum manducent & lintea devorent? Non equi- etiam quo-
 dem ad alterū

finem dem in dubium vocare volumus, quod Diabolus *partim* ea sepulchra aut monumenta defunctorum tumul-
quia re- tum excitare possit hominumque mentibus timore in-
pugna fa- incutiat, aut ad superstitionem conducat, sed quod
nerationi defuncti, qui in sepulchris istis conditi jacent, auto-
 res strepitus istius sint, qui circa ipsorum monumenta
 auditur, id nulla ratione evinci poterit; Multo mi-
 nus autem credere fas est, quod mortui inhumati tan-
 toque pondere terræ onerati porcorum instar man-
 ducent, ita ut sonus inde a prope adstantibus audi-
 ri queat. Et licet exempla adferantur, quorum non
 nulla ab authoribus in fine Cap. I. allegatis recensem-
 tur, quod cadavera postea effossa integra ferme lin-
 tea deglutiuerint, pro ludibrio Diaboli, misere ho-
 minibus superstitionis permisso DEI imponentis, il-
 lud est habendum. Nulla enim ratione per naturam
 fieri potest, ut cadaver omni vita & motu destru-
 tum, tale quid faciat, ad quod motus & vita requi-
 runt. Ethnici sapientiores jam olim in proverbio
 hoc agnoverunt dicentes: οἱ δευτεροτάροις ἀδάνγοι.

§. X.

partime Asserti hujus absurditas eo dilucidius appareat,
quia con- si consideramus, quod fiduciæ nostræ, quam unice
radicit in DEO collocare debemus, repugnet; Ita neuti-
praxi Chri quam permittit, ut ab alio aliquid sive boni sive ma-
 gianismi, li expectemus quam a Deo (y). Hinc Tertul-
 lianus inquit: *Nec in pororum gregem Diaboli legio ha- buit*

buit potestatem, nisi im deo impetrasset, tantum ab-
est, ut in oves Dei habeat. Possum dicere porco-
rum setas tunc numeratas apud D E U M fu-
isse, nedum capillos sanctorum. Qui autem has
inanis curant traditiones, ipsarum etiam effecta ti-
ment, & per consequens non a DEo, sed ab alio ma-
la sibi immitti credunt. Omnipotentiae quoque di-
vinæ detrahit, si credamus, quod mortuorum talis
manducario fatalem familiarium exitum causetur, ne-
gatur enim tali modo implicite, quod solus Deus
hominibus terminum vitæ præfigere soleat, qvum
tamen expresse (z) nominatur Mortuorum ac Vivien-
tium Dominus. Certissimum igitur est, quod hæc
traditio inventum sit Satanæ, quo homines a vero
Deo & fiducia in eum abducere, suumque contrare-
gnum ampliare laborat. Omnem itaque fiduciam
in toto vitæ nostræ curriculo solummodo in DEO
mortuorum ac viventium Domino merito col-
locare debeimus, ejus enim potestate unice positum
est, totam familiam mortis crudelitate extirpare, quin-
imo benignitati ejus adscribamus, si iterum Ange-
lum percussorem verbo alloquitur
solatii pleno:

SUFFICIT!

(y) Amos 3. v. 6.

(z) Rom. 14. v. 9.

EPILOGUS.

ET haec sunt L. B., que pro ingenii modulo premissis II.
Capitibus de nummis in ore defunctorum reperiis,
rudi penicillo delineare libuit. Primis tantum labri
rem degustavimus, solidiori discussione Doctribus relata.
Interim illud addimus Quintiliani: Si quid desit operæ,
supplet ætas, & si que dicta sint juveniliter pro indeole
accipientur. Hinc benignum abs Te L. H. expeditamus ju-
dicium, nosci enim, nabil unquam ex omni parte perfectum
in lucem editum, ac si errores forsitan deprehenderis, scias,
Juvenes nos esse, qui meliora edocet, corrigi se lubentissime
patientur. Cum illo itaque cujas auxilio freri & ad-
juti negotium nostrum aggressi, ut in eo progressi sumus,
etiam egredimur, dantes

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξαν.



6.

Mb 1800.

8.

ULB Halle

001 341 081

3




5b.

63

m.c.





Q. D. B. V.
DISPUTATIO HISTORICO-MORALIS
DE
NUMMIS
IN
ORE
DEFUNCTORUM
REPERTIS,
QVAM
DIRIGENTE
MORTUORUM AC VIVENTIUM
DOMINO,
ET
PERMITTENTE
AMPLISSIMO SENATU PHILOSOPHICO
IN
ILLUSTRI ACADEMIA LIPSIENSI,
CANDIDÆ ERUDITORUM *diaconé phis.*
ea,
qua decet, reverentia
submittunt
P R A E S E S
M. CHRIST. EHRENFR. SEYFFERT,
ET
R E S P O N D E N S
CHRISTIAN DAVID SEYFFERT, Philos. Bacc.
Cræbra Misnici, Fratres Germani.
Hora ac Diatriba consueta.
d. 26. Jan. 1709.

L I P S I A E,
LITERIS BRANDENBURGERIANIS.

LIPSIAE,
LITERIS BRANDENBURGERIANIS.